

Ad Senecae libros de clementia.

Cum ante hos tres annos, recens tum inspecto et examinato Gertzii libro qui inscribitur studia critica in L. Annaei Senecae dialogos, publica recensione¹ cum viris doctis communicarem, quid eo de libro iudicandum, quid lucri inde sumpti in acceptum referendum esse videretur, sperare nos profitebamur futurum esse ut is qui et orationis Senecae cognitionem accuratam et egregiam inveniendi sagacitatem illo specimine probavisset, ipse aliquando dialogos ad Ambrosianum codicem recognitos, emendatos et sua et aliorum felicitate, denique modico apparatu instructos ederet. Eam spem ad hunc diem usque dilatam nec illam profecto intra paucos menses explendam quod etiam nunc in aliquod tempus differri minus inviti patimur, non mirabuntur quicumque iuste respexerint, quam opulento munere quamque operoso idem vir, cum libros de beneficiis et de clementia ederet², interea hoc litterarum genus auxerit. Etenim cum iam dudum et ab Haasio et a Madvigio cognitum confirmatumque esset, quanta in horum librorum scriptura constituenda Nazariani codicis esset virtus ac praestantia, postquam nuper is liber, amissus antea per complura saecula, insigni fortunae beneficio et quasi quadam clementia in conspectum hominum reductus et Mauricio Hauptio auctore Kekulei opera diligentissime excussus est, simulatque id *Ἐκμῆλον* comparuit³, summum fuit existimatorum desiderium optantium, ut tale emendationis instrumentum ne diutius, quam necesse esset, in privatis scriniis abditum iaceret. Hauptius collationem suam Madvigii interventu

¹ In Gotting. doctrinae anal. 1874 part. 46.

² L. Annaei Senecae libros de benef. et de clem. Rec. M. C. Gertz, Berolini apud Weidmannos 1876.

³ Est autem ab Hauptio ipso proditum in Hermae volumine III p. 151 (opusc. III p. 404).

rogatus Gertzio permisit. Ipsi non licuit videre quem is fructum inde cepisset; ceteris qui superstites sumus Annaei Senecae amicis nova illa editio ut iteratae lectionis occasionem praebuit ita fructuosae solidius tandem dedit dabitque fundamentum.

Placet igitur nunc eorum aliquam partem edere quae ipse in libris de clementia, integro uno altero dimidiato, aut certa aut probabilia repperisse mihi videor. Qua in re cum Gertzii mentio saepius recurrat, atque ita fere semper, ut quibus locis minus recte eum iudicasse censeam declarandum sit, nolim iniquius id fieri quispiam dicat, quod vituperare maluerim quam laudes cui debeantur impertire. Neque enim de omni eius opere iudicium ferre mihi in animo est, sed nova pauca de meo addere, quod sine aliorum refutatione tali in re fieri sane nequit.

I 3, 1. Neroni Caesari adolescenti XVIII annos tum nato Seneca libros de clementia dedicavit. Scripti igitur sunt primis imperii eius temporibus inter decembrem mensem a. 55 et eundem a. 56 mensem. Tres olim fuisse libros apparet e partitione quam I 3, 1 instituit. Quo loco cum materiam propositam in tres partes dividat, quarum primam, licet de vocabulo ipso male traditio dubitetur, libro primo tractari credibile sit, alteram se aggressurum initio libri secundi (II 3, 1) disertis verbis promittat, si et sententiarum concinnitatem et aequabilitatem voluminum respexerimus, probabile erit ac fere certum, etiam tertiam partem suo libro comprehensam fuisse. Moneo autem propter quosdam viros doctos¹, qui causa non adiecta duos esse libros scripserunt. Sed in ipsa illa partitione prima est eaque gravissima difficultas. Prioribus capitibus postquam nonnulla praefatus est, quibus vel imperatoris delectaret animum vel clementiam ab opprobriis nescio quibus quasi defenderet, iam I 3, 1 in hunc modum pergit: *Nunc in tres partes omnem hanc materiem dividam. Prima erit manumissionis. Secunda, quae naturam clementiae habitumque demonstrat. Nazarianus manumissionis. Lipsius manuductionis. Gronovius mappae missionis vel commissionis. Merito mireris Haasium Fickerto ad stipulatum nihil mutasse in loco aperte corrupto, quem iam superiores coniecturis temptavissent. An illorum infelicitas eum absterruit? De servis etsi saepius agitur, tamen nec manumissio ipsa ullo loco commemoratur, et si commemoraretur, profecto non esset cur totus liber nomen inde ferret. Quae Madvigius advers. crit. II. p. 425 opinatur Senecam scripsisse manus iniunctionis,*

¹ Teuffel hist. litt. lat. Martens de Senecae vita p. 43.

quibus verbis eum putat significare 'ut te teneam', ea ad iuriconsultos unde petita sunt relegemus. Fatemur cum Gertzio obscuriora ea esse quam pro Senecae consuetudine nec liquet quomodo scriptor aut universum librum eo consilio scribere aut id consilium, si modo habuisset, in ipsam dispositionem referre apte potuerit. Ipse Gertzius novum vocabulum finxit *mansuefactionis* quod ut concedam latinum esse — quidni autem fuerit? — vereor ne ad leones ursosque compescendos aptius quam ad principis animum institutione temperandum pertineat. Ceterum id in margine tantum et dubitanter adiecerat, haud nimis caute opinor, praesertim in tanta litterarum dissimilitudine. Mira sane res, investigari non posse, quo verbo vel, si plura fuerunt, quibus verbis scriptor argumentum eius libri, quem integrum in manibus habemus, breviter expressum in partitione praeceperit. Et si non astrictus essem eis quae tradita sunt verborum reliquiis, postquam saepius eum relegi, summam rerum sic significarem ut scriberem: 'prima erit in commendandis animi mitioribus sensibus occupata'. Per totum enim librum clementiam et mansuetudinem commendat, dissuadet iram et crudelitatem. Nunc autem aliquid veri restituere mihi videor, si hoc proposuero: *prima erit in animi sensibus mitioribus*. Prima verba fere ipsa praestiterim. Dubito de ultimo. Ortum est mendum ex compendio male soluto *inanimisōsōs*, quibus quod subiectum fuisse minus fidenter statuo adiectivum propter scripturae similitudinem omissum est; quod vitium hoc in codice frequentissimum aequae explicatur atque contrarium illud, quod alias reperitur, duplicatio scripturae per errorem iteratae. Puto autem ferri posse illam verbi *esse* constructionem, consimilem ei quae e versandi verbo suspensa omnium in ore est.

I 3, 5. Principem a civibus dilectum comparat animo humano in corpore suo quasi regnanti, cuius voluntati membra omnia pareant. *Sive avarus dominus est animus, mare lucri causa scrutamur, sive ambitiosus, iam dudum dexteram flammis obiecimus aut voluntariam subsilivimus* . . . haec Nazarianus. Esse hunc locum inter cruces interpretum referendum editiones et Haasiana et Gertziana ipso signo appposito manifesto ostendunt. Haasius *voluntariam [mortem oppetivimus **] subsilivimus*; quo nihil aut commodius reperias aut quod minorem veri speciem habeat. Gertzius sine solacio dimittit legentes: *obiecimus † aut voluntariam subsilivimus*. Idem quamquam laudavit Lipsii coniecturam *voluntarii sub solum ivimus*, tamen eam, ne audacius mutaret, in verba recipere noluit. Addit praeterea, praesens tempus et hoc loco coniectura et

antea in v. *obicimus* emendatione restituendum esse. Illud quidem mihi quoque pro certo est, ut antea Mucium Scaevolam, qui flammis dextram obiecerit, ita nostro loco intellegendum esse Curtium illum quem voragini in foro factae se immisisse Livius VII 6 narrat. Sed is falso dicitur subsiluisse, immo desiluit. Neque enim ea sequimur lexica, quae duas eius verbi significationes statuunt, alteram alteri paene contrariam. An sic placet ratiocinari, ut quidam ex amicis meis fecit, qui subsilire ait esse ita salire, ut sub eam rem pervenias quam saliendo petieris; dici autem latine 'ire sub antrum, esse sub antro, subire antrum', quidni etiam 'subsilire voraginem'? Unde ille coniecit scriptum fuisse: *volenter rimam subsiluimus*. Ego vero a Lipsii coniectura *sub solum ivimus*, ingeniosa illa haud dubie, puto proficiscendum esse. Sed minus apte is scripsit *voluntarii*, quod si antiquitus traditum erat quomodo mutari potuerit parum intellego. Itaque ipse aliud quiddam propono examinandum: *voluntariam viam sub solum imus*. Substantivum illud aequali terminatione adiectivi absorptum, *subsiluimus* autem, natum e scripturae compendio *subsolvimus*, eo facilius in contextum verborum receptum est, quod etiam scribae desiliendi vim ei verbo immerito tribuebant. Postremo mihi contra Gertzium defendendum est perfectum *obiecimus*. Sic enim est in Nazariano. Et est aptum perfectum, quo significetur quanta celeritate animi imperia exsequamur; atque insuper id maxime tempus eo quod additur adverbio *iamdudum* unice commendatur. Secundo loco contra statuimus praesens tempus praefendum esse. Id quoque in Nazariano traditum esse haud immerito dixeris, siquidem e corruptis istis notis paullo facilius refingitur *sub solū imus* quam *ivimus*. Haec autem actio maioris est momenti quam prior illa; haec non sine aliquo consilio et apparatu perficitur. Itaque non tam celeritas hoc quidem loco urgenda erat, quam sponte nos ac libenter animi impulsibus parere, ut vis adverbii temporalis *iamdudum* ad prius tantum membrum pertineat.

I 5, 1. Naz.: *parcendum itaque est etiam improbandis civibus non aliter quam membris languentibus, et si quando misso sanguine opus est, sustinenda est, ne ultra quam necesse sit, insidat*. Quod his verbis subest mendum, vulgata scriptione quam Pincianus invenit satis leviter curatum est: *sustinendum est, ne . . . incidat*. In prioris vocis terminatione etsi conieceris potuisse librarii temeritate ex neutro femininum fieri, tamen quoniam altero quoque in verbo mutanda fuit terminatio, sapienti satis appareat necesse est, ita sententiam quandam sane effici, quamquam ne ea quidem plana

ac recta est quia sustinendi alia est atque illi voluerunt notio, at certe non ipsa scriptoris verba instaurari. Sententiam melius Haasius et qui eum sequitur Gertzius constituerunt: *sustinenda est (manus) ne . . . incidat*. Sed ea in re nullam video probabilem rationem qui fieri potuerit ut id maxime vocabulum quod principale est excideret. Quamquam enim saepius in Nazariano singula aut bina aut etiam trina verba exciderunt, ut aliquando, sed profecto multo rarius quam Haasius atque Gertzius eo remedio usi sunt, certa necessitate cogamur inserere, quae nullis vestigiis nisi sententiarum conexu adiuti olim fuisse scripta suspicemur, tamen id emendandi genus desperantis est nec potest cuiquam probari, quoad aliqua etiam in verbis ipsis comparet probabilitas, qua ex aeriis illis Fortis plagis in solidum reducamur. Itaque sic puto faciendum. Fatigabat per se etiam nihil falsi suspicantem verbum *est* ter deinceps positum. Nunc vero eis in litteris, ut sunt coniunctae cum duabus in priore voce ultimis *da*, reliquias eius quod olim erat vocabuli *dextra* mihi videor agnoscere. Non semel hoc in codice mutatae sunt notae *aes* et *ex*, cf. I 26, 4 *exitia*, N *aesicia*. Praeterea non video, cur insidendi verbum illi non ferendum putaverint. Nempe insidit secantis medici dextra ei quod secatur membro. Insidendo vel premendo ad vivum altius penetrat. Noster autem ei praecipit, ne diutius, quam necesse sit, insadat. Similiter apud Ovid. Met. X 257 Pygmalionis digiti membris quibus impressionem faciunt dicuntur insidere.

I 5, 5. Naz. *muliebre est furere in ira, ferarum vero et generosarum quidem praemordere et urgere proiectos*. In his negativa particula vehementer desideratur. Doleo tamen Gertzium hoc loco Haasii vestigia premere. Nam is cum scripsit *et ne generosarum quidem* haud dubie falsam viam ingressus est. Scribendum est cum deterioribus quibusdam codicibus: *nec g. quidem*. Ac ne quis prava me ingerere Senecae criminetur, non ita id intellegi volo, ut *nec* positum sit pro *et ne*. Istaе particulae *ne . . . quidem* ferri hic omnino nequeunt, quia universae sententiae vis est affirmativa. Ista vero *ne generosarum quidem*, quibus cogitatione splendendum est 'nedum ignobilium sit ferarum praemordere proiectos' sententiam efficiunt scriptoris consilio contrariam. Is enim hoc significare voluit: ferarum est et profecto non generosarum quidem. Reducenda igitur particula *nec*.

I 8, 1. *Grave putas eripi loquendi arbitrium regibus, quod humillimi habent. Ista, inquit, servitus est, non imperium. Quid? tu non experiris istud nobis esse tibi servitutem?* Haec in Naz.

sed gravius corrupta. Ac primum errorem iam Gertzius recte correxit: secunda persona *inquis* contra codicis auctoritatem restituenda est. Error est monachi cui pro rariore forma id quod miliens legerat e calamo fluxit. Quae sequuntur, ab Haasio in editione ipsa non mutata sunt, nisi quod ut priores verba *nobis esse inverso ordine* exhibet; idem tamen in praef. vol. III pag. 25, non id quidem sine dubitatione, scribit: *quid, tu non experiris imperium istud esse nobis, tibi servitutem?* Sed hoc additamentum, ut multa quae similia Haasius ingessit, ultimo coniecturarum loco habendum est. Ferri tradita non posse Gertzius probe explanavit. Sed id quidem non probo, quod is, multo melius sane, in margine libri sui adicit: 'fort. *sicut nobis, esse tibi servitutem*'. Nego enim voluisse Senecam id sententiarum acumen efficere, ut diceret imperatorem servire, cives imperare, id quod Haasius statuerat. Atqui etiam illud merito dubites, aptumne adeo fuerit isto modo civem de civium omnium servili condicione loqui. Illud unum significat, imperium ipsi qui imperet esse quandam servitutem. Me vero etiam praesens tempus *experiris* offendit, cui cum non adiectum sit adverbium *cottidie* aut simile quidquam, perfecti notio videtur restituenda esse. His expositis apparebit ultro cur Senecam putem scripsisse: *Quid? tu non expertus istud nosti esse tibi servitutem?* Hoc est: tu qui imperator es — et imperabat quidem per unum fere annum et dimidium — cottidiana experientia nondum cognosti, re vera omne imperium tuum esse quandam servitutem? mirari tandem desine. Exigua est praesertim in priore verbo notarum discrepantia.

Eiusdem capituli § 2 non debet Gertzius inutilem Baehrensii coniecturam *arce* recipere. Optimum est quod est in codice: *tibi in tua pace armato vivendum est*. Aptissime *tuam pacem* appellat eam quae ab imperatore urbi et civibus conservetur, quo tamen beneficio frui auctori ipsi minime licere.

I 12, 3. Clementiam ait efficere, ut magnum inter regem tyrannumque discrimen sit. *Uterque licet non minus armis valletur, sed alter arma habet, quibus in munimenta pacis utitur, alter ut magno timore magna odia compescat*. De hoc loco Madvigius in Adv. II 426 disputavit. Bene naturam vitii declarat. Nam aut *non minus* de uno rege ait aut *aeque* de utroque dicendum fuisse. Quae tradita sunt, logicam rationem vehementer laedunt. Atque ingeniose, ut assolet, ille hanc invenit emendationem: *uterque licet dominus armis valletur*. Modo id substantivum ne plane supervacaneum nulla aut necessitate cogente aut suadente oppor-

tunitate ad reliqua verba accederet. Sed utut est, certe multo melior erat illa quam Wesenbergii coniectura, quamquam hanc Gertzius verissimam esse statuit. Parum simplex mihi quidem videtur ista locutio: *uterque non minus altero*. Quo tantae ambages? Sed esto: fac eam Seneca dignam esse. Qua tandem litterarum similitudine aut qua omnino ratione probabit nobis, qui invenit, istud maxime verbum excidisse? Mihi illorum neutrum verisimile sed hoc persuasum est ab origine fuisse: *uterque licet hominibus armatis* (per comp.) *valletur*. Movet me sic ut statuam praeter scripturae summam facilitatem maxime quod his subiectum est in fine eiusdem § 3, tyrannum ne illas quidem manus ipsas quibus se commiserit securum aspicere.

I 17, 1. Decimo sexto capite indignabundus scriptor exclamaverat, numquid aequum esset homini gravius et durius imperari, quam vel animalibus mutis a quovis sapiente imperaretur. Iam sic pergit: *Quid enim est stultius quam in iumentis quidem et canibus erubescere iras exercere, pessima autem condicione sub [homine] hominem esse?* Sic cum Lipsio Haasius. At isto modo posterius membrum cum sententia primaria *quid est stultius* parum recte coniungi, id quod illos fugerat, Gertzius verissime demonstrat. Edidit igitur uno insuper vocabulo adiecto *sub homine velle hominem esse*. Haec ego quia sententiam iustam reddunt et perspicuam probarem, si verae scripturae restituendae spe omni abiecta meum sequerer arbitrium. Interim eandem sententiam multo commodius e verborum reliquiis eruere mihi videor. In Nazariano legitur *sub hominem*, unde conicio fuisse scriptum: *quid stultius quam . . . pessima condicione iubere hominem esse*. Infinitivus fuit breviori notae mandatus.

I 19, 3. Apum regem dicit carere aculeo, quod natura eum noluerit saevum esse aut ultionem petere. Sequuntur haec: *Exemplar hoc magnis regibus ingessit; est enim illi mos exercere se in parvis et ingentium rerum documenta* (N *documentam*) *minima spargere* (N *argere*). Haec propter spargendi verbum vix tolerarentur, si tradita essent. Nunc vero id Madvigianum est: cui cum alias, etiam in emendando Seneca, tam multa et taciti et professi debeamus, hoc facilius licebit sine arrogantiae crimine istud reicere, quod ut tradito verbo annominatione quadam simile ita alienum est a sententiarum conexu. Neque Haasius suum mihi probavit *documenta in minima cogere*; debebat enim, ut recte Madvigius monet, *in minimum* dici. Hauptii inventum *urgere* etiam minus probandum est. Minime autem illud voluisse

Seneca putandus est, consulto naturam ita restringere exempla sua, ut tamquam diligens tenuitatis, gravissimi cuiusque praecepti simulacra minima edat. Neque enim verum esset. Possunt et Alpium nivosa cacumina et lilia in agrorum recessu florentia, si modo animum attenderis, discendi occasionem dare et materiam. Id unum significat, saepius naturam grandium rerum etiam parva exempla procreare. Quid igitur veri similis his verbis *documenta in minima re gignere?* Nimirum praepositio *in* latebat in v. *documentam*, *argere* primam vocalem a v. *minima* traxit; *r* et *gere* ex scripturae compendiis abiecta ex utroque vocabulo lineola distinctiva orta sunt. {Gignendi autem verbum ad naturam rerum unice aptum est.

I 19, 8. Sequitur eiusdem capituli § 8, qua haud scio an nullus in hoc libro locus sit corruptior et desperatione dignior. Laudatur §§ 6 et 7 felicitas boni principis a suis dilecti, cuius vita sit omnibus carissima, cuius salus si quando morbus inciderit unicuique civium in votis sit: Ultima prioris sententiae sunt verba *commutatatum velit*. Sequuntur in codice haec: *o ne illo (velitoneillo) cui contingit sibi quoque vivere debeat*. Prima verba sano sensu carent. Omnes editores ingenia sua frustra exercuerunt. Gertzius in margine adicit videri haec fuisse precantium pro illius salute vota *O! ne illi quid contingat! Sibi quoque vivere debet*. Mihi haec displicent, etsi omnium optime inventa esse concedo. Improbo autem collocationem verborum, tum v. *contingit*, denique subitam illam orationis interpellationem. Certa ipsi mihi adhuc nondum in promptu sunt, sed si qua statim subicio, aliis volo ansam dare emendandi cetera. Nam sic fere illud monstrum dirimendum censeo: *meritone, illud cui contingit, sibi quoque vivere debeat?* De mediis valde dubito, quamquam sententia ni fallor apta est. Initium videor duplicatis nonnullis codicis notis recte emendare, praesertim quia tali initio optime respondent quae statim sequuntur: *in hoc assiduis bonitatis argumentis probavit non rem publicam suam esse sed se rei publicae*.

I 25, 3. Ultimam attingimus hoc in libro locum contrarium illi, si sententiam spectamus, si difficultatem, admodum propinquum. Tyranni saevitia quam abominanda sit, diserte scriptor enarrat. Nazarianus *naturalem virum a tergo sequitur aerversio odiae venena gladii*. Vulgo nam talem . . eversio . . odia. Gertz *matura talem . . eversio † odiae*.

Primo loco quod vulgo scripserunt *nam talem* aperte falsum est. Neque enim causam prioris sententiae ea quae statim se-

quantur indicant, sed ex contrario, quid inde consequatur. Qui novissime edidit iure perhorruit scribere *natura talem*, quem ablativum cognovit contra latini sermonis consuetudinem esse. Sed etiam *maturam eversionem* vix tolerabilem puto, praesertim cum ea dicatur tyrannum a tergo sequi. An homo potest everti? Aut qui fieri potest, ut abstracta illa notio eversionis humanam formam imitata tyrannum illum quasi hostis persona induta a tergo sequatur? Accedit quod hinc maxime altera Gertzio difficultas oritur dubitanti haud immerito, num post *eversionem*, ne gradationis ordo interrumpatur, *odia* possint apte commemorari. Difficile enim a superiore descendi ad rem multo inferiorem, ita quidem ut statim inde ad alteram superiorem (*venena*) ascensus fiat. Ille igitur e notis *odiae* non illud substantivum efficit, sed gravior quoddam vitium subesse ratus suspicatur haec verba ibi latuisse *hodie venena, cras gladii*. Sed haec quidem praestabat non invenisse. Denique minime omnium probanda est Wesenbergii conjectura specie facillima *aversatio*. Non potest id substantivum sine genetivo accipi. Praeterea quid fiet si *aversatio* tyrannum a tergo sequetur? Nonne *aversa* ipsa *aversum*, tergo tergum opponens petet? Ego ut falsam esse hoc loco *eversionem* necdum correctum eum qui est in primo vocabulo errorem existimo, ita *odia* defenderim etiamsi demonstrare nequeam, unde levior illa corruptela *ae* pro *a* nata sit (an vero *insidiae*?). Interim haec fortasse non displicebunt *nocitura talem virum a tergo sequitur execratio, odia cet.*

II 1, 3. Naz. corrupte *O vocem publicam generis humani innocentia dignam, cui redderetur antiquum illud saeculum!* Nero adulescens idemque recens imperator rogatus aliquando a Burro praefecto praetorio ut scriberet, quemadmodum in latrones quosdam furti deprehensos animadverti vellet, cum saepe id distulisset, tandem instante illo ut munere isto imperatorio fungeretur, postquam charta prolata traditaque est, exclamaverat 'vellem literas nescirem'. Eam vocem Seneca multis laudibus cumulat: *o dignam vocem quam audirent omnes gentes . . . o vocem in conjunctionem omnium mortalium mittendam cet.* Tertium repetitionis membrum est illa quam in fronte posuimus sententia. Apparet autem ex ipsa figura rhetorica falsam esse eam emendandi viam, quae Haasio placuit, qui prima verba *o vocem publicam generis humani* inter se coniungit ac deinde v. *innocentia* uncis includit. Modo etiam proderet, quomodo id irrepsisse videretur. Verum ut hac in dubitatione coniveamus, cui iste de sententia illa e conexu

avulsa, quae ad rem nihil pertinet, persuaserit? His ni fallor rationibus ductus Gertzius ea, ut olim Gruterus, sic mutavit: *o vocem publica g. h. innocentia dignam, dignam cui redderetur antiquum illud saeculum!* Sed in his geminatum adiectivum minoris pretii duco dubitoque quomodo loco planissimo *publicam* pro *publica* oriri potuerit. Quod ipse commendo, ad litterarum ductum proxime accedit: *o vocem publica in generis humani innocentia dignam* cet. Nolebat Seneca scribere *in innocentia*. Atqui si scripsisset *in publica*, causalem vim sententiae effecisset, quasi iam esset illa hominum innocentia publica. Itaque ista collocatione condicionalem significationem secutus est.

II 2, 1 sq. Praedicit Neroni magister indulgentior fore ut eius animi mansuetudo paulatim per omne imperii corpus diffundatur. *A capite bona valetudo in omnes [exit: omnia] vegeta sunt atque erecta aut languore demissa, prout animus eorum vivit aut marcet.* Ista duo verba ab Haasio adiecta sunt. At enim talem emendandi rationem amplexantibus Gertzianam potius medelam commendaverim *in omnes corporis partes exit; omnia vegeta sunt.* Malim tamen, si fieri possit, ad ipsum scriptorem recurrere. Nempe istius generis additamentis Senecae stilum ipsum refingi illi haud dubie non audebunt contendere. Naz. *in omnes vegeta*, unde haec mihi videor probabiliora detegere *a capite bona valetudo hominis: cetera vegeta sunt atque erecta aut languore demissa.* Prius vocabulum in codice ita corruptum est, ut vestigia certe veri manifesta sint, alterum eius quod proxime sequebatur periculosa similitudine obliteratum. Placet id caput persequi. Initio § 2, quo loco Haasius edidit *diutius me morari hic patere; non ut blandum auribus tuis* cet., Nazarianus codex Madvigio et Haasio maiorem quandam suspicionem movit. In quo cum pro v. *hic* nescio quo fato scriptum sit *huic*, illi coniectant tradita verba sic mutanda esse *diutius me inmorari huic patere voci, non ut.* Ne multa. Tantum illis obiecerim, sicine via ac ratione procedatur, si sanaturus digitum cultro leviter strictum medicus braccium antea frangendum censeat. Ceterum ego dubito an Seneca non *blandum* sed *blanditurum* scripserit, quia quae statim sequuntur *nec enim hic mihi mos est* in structurae compagem facilius immittuntur, si verbum blandiendi ipsum antecessit. Etiam in § 3 mendum est antiquius traditum sed minus grave, quam Gertzius statuit. Proficiscendum est ut semper a Nazariano: *Ac nescio quomodo ingenia immania et invisae materiae secundi ora expresserunt sensus vehementes et concitato* cet. Haasius *secundiore*. Sed id minus dignum eis virtutibus quas huic scriptori Hauptius tribuit, cum eum dicit quae subtiliter cogitaverit, argutius saepe sed concinne neque fere obscure eloqui solere. Sed Madvigius quoque auctor eorum quae Gertzius hoc loco edidit, a vero aliquantum aberravit. Primum enim inventis istis suis *ingenia in immani et invisae materiae secundiore ore expresserunt* duplicem quandam, nisi me aures fallunt, *κακογονίαν* scriptori ingessit. Praeterea illud quoque neglexit, adiectiva si isto modo ad v. *materiae* referantur, substantivum

ingenia significanter in fronte collocatum falsam videri sedem occupasse. Denique ne haec quidem *secundiore ore* plana sunt aut sine offensione. Sed unum relinquitur auxilium commodissimum. Quidni enim scribamus *materia fecundiore*? Qui ablativi, sive eos absolutos sive causales esse dicis, apte significant atrocibus odiosisque ingeniis, quoniam ita sit animus humanus natura comparatus, uberiorem quasi materiam sententiarum grandium et vehementium promendarum suppetere.

II 5, 3. Agitur de Stoicis. Eam sectam ait a quibusdam inhumanitatis argui, quod sapientem vetet miserari atque ignoscere. Seneca non negat (§ 2) haec si per se ponantur invisae esse. Naz. § 3 *Quod si est, quidni haec scientia, quae dedicere humanitatem iubet portumque adversus fortunam certissimum mutuo auxilio cludit?* Corr. vulgo *dediscere*. Haasius *quidni invisae sit haec scientia*, quae etsi sententiam satis probabilem restituunt, certe nimis violenter inculcata sunt. Nec aperuit vir doctissimus, quomodo ultima verba *portum certissimum mutuo auxilio cludit* accipi voverit. Lipsius *mutui auxilii* vel *mutuum auxilium*. Madvigius *quidni haec sit sententia*. Gertzius *quidni haec sit sapientia . . mutui auxilii occludit*. In his quae ipse de suo addidit v. *sapientia* et *occludit*, ea vel maxime probo, sed reicio quae illorum inventa in suum usum vertit. Ceterum omnis sententia ab eo falso conformatur. Ipse enim interpretatur confiteri Senecam, Stoicorum sapientiam hanc esse quae dediscere, humanitatem iubeat. Sed talem confessionem nonne ultro occurrit invito tribui ei scriptori, qui et antea dixerit id Stoicorum praeceptum tantummodo si per se ponatur invisum esse, et qui statim adversativa particula usus adiciat revera nullam sectam benigniorem lenioremque esse? Mea haec est emendatio: *Quod si est, quid mihi haec sapientia, quae dediscere humanitatem iubet portumque adversus fortunam certissimum, mutua auxilia, occludit?* Initio intellegendum sed non ascribendum est v. *prodest*, quam ellipsin aequae latinam puto atque hae sunt haud dissimiles: *Quid mihi cum ista summa sanctimonia ac diligentia?* (Cic. pr. Quint. 17.) *Quo mihi fortunam, si non conceditur uti?* (Hor. ep. I, 5, 12.) aliae.

Antequam finem huic commentationi imponam, haud inutile erit monuisse multos praeterea locos in Gertzii editione occurrere, quos ille, cum satius esset codicis auctoritatem integram sequi, minus ad persuasionem apposite mutaverit. Cui ut concedamus difficile persaepe distingui in confinio probabilitatis, quid dignum scriptore quid non ferendum esse videatur, tamen negari non potest palmam hoc in genere non ei decerni solere, qui quae tradita sunt sui ingenii ope meliora efficiat, sed qui ex eis quos habemus fontibus prudenti temperamento usus bona et antiqua restituat.

Argentorati.

Fr. Schultess.